



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De custodia cellæ. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

corde agere. Vita angelica est, chorum cum deuotione & reuerentia frequētare. Nam ibi plures deuoti uisiones angelicas habuerunt, sępius in spiritu rapti sunt, frequenter illuminati, dulciter consolati, & fortiter accensi sunt.

CAPVT VIII.

De custodia celle.

I. **F**initis primis vel tertijs, studeas te continere a verbis multis & circuitionibus; sed quanto celerius potes, cellam pete, & aliquid boni exercitij propone, quod tibi per totam diem deseruiat. Statue firmiter, quod hodie uelis te custodire in omnibus moribus & sensibus tuis: Habere scilicet pudicos oculos, non curiosos, pauca & utilia uerba, gressum maturum & incessum humilem; & in omnibus motibus & statu nihil agere aut pratendere, quod cuiusquam offendant aspectum. Vbicumque necesse fuerit te esse, omnibus priuatis pratermissis, studeas tempestiuē uenire. Nec assuescas malum usum, posterior sępius ueniendo.

2. Nihil aestima, quod facis, si non prius feceris, quod debes. Esto igitur ubicumque cum primis alacer, & paratus in omni loco & tempore ad hoc deputatis. Communia semper prapone proprijs & priuatis. Alterius potius quā propriam studeas facere uoluntatem, & eris omnibus dilectus, tam Deo quā fratribus. Pauca uerba & humile responsum habeat os tuum. Melius est tacere, quā imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes, custodi os tuum.

Propositū
quolibet
die reno-
uandum.

CAPVT IX.

De exitu ad laborem.

I. **A**ntequam excas, & postquam intraueris cellam, breuem habes orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora, sed disce manibus operari & corde orare. Nemo statim perfectus est, nec una die acquiritur uirtus & deuotio ista; sed quotidiano exercitio & diligenti proposito, efficitur homo deuotus & internus.

CAPVT X.

De obedientia, & humili responsione.

I. **Q**uod tibi semel inhietur, sic studeas dimittere, ut nō sit opus secundō. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe, & eris semper inde melior. Non quæras excusationem in defectibus, sed humiliationem cum emendatione. Si vis semper lucrari & amari, humilia te, & tace sustinens. Virtutes semper lætificant, passiones mœsticiam generant. Sacram scripturam dilige, libenter